



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Ioannis|| Climaci Ab-||batis Montis|| Synai,|| Scala Paradisi**

**Johannes <Climacus>**

**Coloniae, 1583**

**VD16 J 520**

De Fratre cui falso obijciebatur, subtraxisse numisma. Capvt CXVI.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55433](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55433)

dicens: Cùm pepererit vxor tua, nuncia mihi.  
 Cùm ergo peperisset vxor illius, seni significa-  
 uit iuuenis dicens: Per Deum, & orationes tuas,  
 pater, genuit vxor mea. Tūc Abbas Daniel ingre-  
 sus ait iuueni: Fac prādiū, & voca amicos tuos, cū  
 igitur pranderent, sumens senex puerulum in  
 manibus, coram omnibus dixit infantulo: Quis  
 est pater tuus, infans? Ait autem infans, Hic  
 ostendens digito manus suæ iuuenem. Erat au-  
 tem infantulus dierum viginti quinque.

- 1 Operabantur manibus anti qui monachi.
- 2 Oratio valet ad obtinendum omnia à Deo.

*Admonitiones Abbatis Ioannis Cilicis.*

C A P V T. C X V.

**D**ICEBAT Abbas Ioannes Cilix dux  
 Raythu fratribus: Flij, sicuti fugimus mē-  
 dum fugiamus concupiscentias carnis. Di-  
 xit iterum: Imitemur patres nostros, qui cum  
 tanta austeritate vitæ, & silentio sederunt in  
 loco isto. Dixit iterum: Ne sordidemus lo-  
 cum istum filij, quem patres nostri à dæmoni-  
 bus emundauerunt. Ait rursus: Locus iste mo-  
 nachorum, non negociatorum est. Dixit ite-  
 rum: Inueni hic senes, qui septuaginta annos  
 hoc eodem in loco egerant, herbis solum, & pal-  
 marum fructibus viuentes. Dixit iterum: Senes  
 Septuaginta, & sex annos habeo in hoc loco,  
 multa mala, & horrenda perpeffus à dæmoni-  
 bus.

- 1 Ecce sanctorum Monachorum propositum.

*De Fratре cui falso obijciebatur, subtraxisse  
 numisma.*



SPIRITVALE.  
CAPVT CXVI.

430

**N**Arrauit nobis Abbas Andreas Messeni-  
us, dum essemus in Ryathu, dicens: Cum  
essem adolescens, recessimus ego, & Abbas  
meus de Raythu, & venimus in Palæstinam.  
Mansimus autem apud senem quendam. Senex  
ergo qui suscepit nos, habebat vnum numisma,  
quod vbi posuisset, per errorem oblitus, suspica-  
tus est quod iunior ego furatus illud essem. Dicebat  
ergo senex patrib. loci ipsius, quia frater Andreas  
numisma accepit. Quod cum audisset Abbas me  
vocauit me, & ait mihi: Dic Andrea tu numisma  
senis accepisti? Ad quem ego: Ignosce Abba, ego  
nihil accepi. Habebam autem pallium, quod  
abiens vendidi numismate, & accipiens numis-  
ma profectus sum ad senem, & prostratus illi  
veniam petij, & dixi: Ignosce mihi, Abba, quia  
Satanas decepit me, & accepi numisma tuum. Er-  
rat autem illic & secularis quidam. Ait ad me se-  
nex: Vade fili, nihil perdidisti. Iterum igitur prostratus  
veniam petebam dicens: Per Dominum, Abba, ac-  
cipe numisma: ecce hoc est: fac mihi orationem,  
quoniam Satanas immisit mihi, vt furarer illud,  
& affigerem vos. Dixit iterum senex: Eli, non  
perdidisti quicquam. Cum vero illi non a quiesce-  
rem, tunc ait mihi secularis ille: Verè, domine fra-  
ter, hesterno die cum huc venissem, inueni senem  
plorantem, & prostratum, petentemq. veniam  
in magna afflictione animi, dixiq. illi: Fac charita-  
tem, Quid est quod habes? Et dixit mihi senex:  
Quia fratrem iniusta calumnia exagitauit dicens  
quod numisma furatus esset, & ecce inueni illud.  
Tunc senex edificatus est in me, quod cum non  
accepissem numisma, detulerim illud ad eum  
dicens: Ego illud accepi.

Dd 3

De